



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Maximiliani Sandaei E Societate Iesv Doctoris  
Theologi Architectura Christiana**

**Sandaeus, Maximilianus**

**Coloniæ Agrippinæ, 1653**

4. Virtutes Morales Acquisitæ constituunt Ædificium Philisophicum. Quod  
est Domus Honestatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46065)

**BILITAS:** utramque confundunt nonnulli, quatenus est virtus, per quam quis sese accommodat, & exhibet, alteri jucundum decentibus verbis & factis, in rebus seriis; ita, ut delectatio, quam ex hoc ipso aliquis capit, siue communicatio hæc ut delectabilis, intelligatur obiectum hujus Virtutis, ac proinde ipsa inconcupiscibilis.

**VIII. EUTRAPELIA:** per quam quis accommodat, & exhibet se alteri jucundum, in jocis & ludis sicut decet, cujus virtutis obiectum ea-propter sit hæc jocosa communicatio sui, ut adfert delectationem ipsi, qui se communicat: atque idcirco etiam hæret in concupiscibili.

**IX. FORTITUDO** in irascibili circa timores & audacias, quas moderatur, & suscipit, prout est id utile ad aliquid consequendum. **X. MANSUETUDO.** Hujus est iram regere: quare & illi sedes est in irascibili. Sub his directæ vel reductivè continentur aliæ. **PATIENTIA** revocatur ad Fortitudinem. **CASTITAS** Temperantiæ est species. Porro istis virtutibus, quæ collocantur in appetitu sensitivo, respondent totidem in voluntate, iisdem nominibus, & circa easdem materias.

---

#### ARTICULUS IV.

VIRTUTES MORALES ADQUISITÆ  
Constitunt Ædificium Philosophicum

*Quod est*

DOMUS HONESTATIS.

**E**X istis igitur virtutibus, construitur primum, interpretè superius nominata, Ædificium, quod nuncupari potest, ut morale Philosophicum, ita Humanum & Naturale, quoniam humanis viribus, absque alia transnatura-


turali facultate potest extrui. Est autem hæc **DOMUS HONESTATIS**. Ita tamen, ut eam quoque inhabitet **DEUS**, quatenus est **Naturæ Principes**. Quemadmodum enim, quando hominem ipse condidit per **Creationem**, tanquam **Domicilium** quoddam, in eo habitare cæpit, *Primò* quidem per assiduum influxum conservationis, ac dependentiæ necessariæ: quo pacto lumen habitat in aëre, quem illuminat: neque enim aër illuminatus absque inhabitante lumine esse potest; sic nec homo absque inhabitante **DEO**. *Secundò* autem per intimam penetrationem, qua **DEUS**, ratione suæ immensitatis, in omnibus corporis animæque facultatibus, ut in totidem **Domus aulis** ac **conclavibus** commoratur: est que magis intimè præsens, quam lumen aëri, vel anima corpori: ut benedixerit ille:

*Est Deus in nobis. agitante calescimus illo.*

Haud secus, quando **DEO**, tanquam supremo **Architecto** annuente, & vires subministrante, in nobis ex **Virtutibus naturalibus** **Palatium** ereximus, in illa **DEUS**, velut **Auctor Naturæ**, sedem collocat, & **Honestatis** hanc **Domum** incolere ipse censetur. Ut in fronte hujus **Edificii** insculpi possit capitalibus litteris:

**ET HIC QUOQUE DEUS EST**

**Quod olim Sapientiæ naturalis Sectator quidam  
furno aut dolio suo inscribebat.**



**SER. II.**